

080

078

084

65

cum toto consulatu Ulmensi congregati sedebant, petentes audi-
dientiam; qua data institut apud Dominos consules, ut Priorem
Praedicatorum ad hoc cum effectu inducere vellent, quatenus
fratrem Felicem, quem ipse et sui socii in capellatum elege-
rant, pro transmarina peregrinatione sine impedimento dimitteret:
praecipue cum eum ad hoc esse voluntarium scirent. Itaque
Magitri-civium et quidam de judicibus Conventum ingressi
rogabant Patrem, ut intuitu Consulatus nobilibus illis condes-
cenderet. Qui cum diceret, se non habere facultatem me licen-
tiandi in Ierusalem, sed ad S. D. Papam et Generalem Ordinis
nostrri Magistrum spespsaret hoc negotium, statim produxi literas,
(25 A) tam Papae quam Magistri Ordinis. Quas ut vidit,
statim consensit in nomine Domini.

Accessi ergo ad Dominum Johannem Truchsas et secum
conveni de die et loco ubi eum et tres alios dominos meos
reperirem. Et assignavit mihi diem certum et locum Pontinam
(Insprugg) oppidum, et sedem Ducis Austriae et his tractatis
nobilis cum suis ad propria rediit. Ab hac ergo die barbam nu-
trivi et cruce rubea tam cappam, quam scapulare decoravi, quam
quidem crucem deo dicatae virgines sponsae cruxifixi vestibus
meis assuebant, caeteraque insignia illius sacrae peregrinationis,
quae mihi competit, assumpsi. Sunt enim quinque pereg-
rinorum terrae sanctae insignia. Scilicet crux rubea in veste
grisea et longa cum cuculla monachali tunicae assuta; nisi
peregrinus talis religionis sit, quod ei non competit ferre
habitum griseum. Secundum est pileum nigrum vel griseum
etiam cruce rubea supra frontem insignitum. Tertium est
barba longa in facie seriosa et pallida propter labores et peri-
cula, ubique enim, etiam ipsi gentiles, peregrinantes barbas et
comam nutrient usque ad redditum, et hoc primo fecisse legitur
Osiridem vetustissimum Aegypti regem, Deum aestimatorem,
qui mundum totum perambulavit. Quartum est saccus in hu-
meris tenuem victum continens cum flascone, non ad delicias,
sed ad sustentationem vitae vix sufficiens. Quintum, quod servit in
terra sancta, est asinus cum asinario Saraceno, loco baculi.
Itaque diem recessus mecum desiderio magno exspectavi et me
silenter cum tranquillitate ad iter sacrae peregrinationis aptavi,
propter inquietudinem pro me sollicitorum, qui me inquietabant.

Ende

Anfang

